

(75) Viro generosissimo atque nobilissimo  
 Domino C. a Linné  
 Archiatro regio, Equiti splendidissimo,  
 Professore celeberrimo etc.  
 s. p. d.

J. C. Fabricius

Naturalibus in anno iam præterlapso conquisitis quodammodo in ordinem redactis officia erga benignissimum Praeceptorem, cui progressus meos omnes, qualescunque denique sint, in hac scientia debeo, hilari animo praestare licet. Bis vero febre intermittente laborans et aestate ingrata impeditus haud tantam naturalium copiam colligere potui quam debuissim et ipse sperassem. Lipsiensis etiam regio paucos et Florae et Faunae subditos tantum alit, dum hic paludes, montes, collesque plane desunt. Pauca, quae ideo ignota forsitan crederem, vt benigne accipias obsecro. De Botanicis nil addam, quum amicissimus Schreber iam omnia misisse assèueravit. Insecta ideo quaedam saxonica communicare licitum sit, et felicem me putabo, si eorum quaedam summo scientiae principi non indigna forent. Descriptionibus aliquot Insectorum, quae noua putarem, hodie incipiam, et si his benigne annuit summus praceptor, cum reliquis pergam. Benignis oculis vt eas perlegas velim, quum a tyrone factae sint...<sup>1)</sup>

Vt quam diutissime ad scientiae incrementum floreas vigeasque opto, et vt coniugem suauissimam dulcissimosque liberos meis verbis plurimum salutes oro rogoque, qui semper tanti nominis cultor permanebo obedientissimus.

Dab. Lipsiae d. XII Februar:

1766.

<sup>1)</sup> To Qvartsider Beskrivelser paa Insekter.